



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Prooemivm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

LIBER SECVNDVS
DE
VNIVERSALIBVS IN COMMVNI.
PRO O E M I V M.

NONnulli librum hunc in Metaphysicam reiciunt, arbitantes vix posse in Logica perfecte intelligi: verum à communi ferè omnium consuetudine discedendum nobis non est, præcipuè cum ratio ipsa nos cogat de Vniuersalibus in Logica disputare: partiale enim obiectum Logicae sunt propositiones vniuersales, quibus in demonstrationibus & syllogismis vtuntur scientiae. Manca ergo esset Logica, & passim discipuli haberent, si rem adeò necessariam ad finem usque Metaphysicae reiiceremus, ut rectè notauit Toletus *Quest. I. de Vniuersalibus*, initio. Adde, quinque Prædicabilia, de quibus omnes Logici disputant, ne vix quidem percipi posse, Vniuersalibus ignoratis. Unde & qui Vniuersalia ad Metaphysicam reiciunt, coguntur hic per compendium saltem illa explicare: nec res est adeò difficilis, ut reserctis inutilibus argumentis, & difficultatibus quibus obrui solent discipulorum ingenia, si studio & diligentia in ea incumbatur, etiam à Logicis eius perfecta notitia obtineri nequeat. Quod si adhuc tibi ad Metaphysicam debere reici visum fuerit, hic habes & Metaphysicam non procul, relinque iam Vniuersalia, & cum Metaphysicam legeris, verte aliqua folia, & adhuc inuenies Vniuersalia non tibi fugisse.

DISPUTATIO QVARTA.

Dentur à parte rei, quæ ad Vniuersale formaliter requiruntur.

De auctore, instituto, inscriptione, partitione, & vtilitate huius libri latè Conimbricenses Proœmio in Isagogen Porphyrij: nobis non est animus in eis tempus terere, nam ex ipsis Disputationibus institutum & vtilitas libri constabit. Reliqua non valdè vilia sunt. Videte P. Suarez *Disput. 6. Metaphysices* per totam, Hurtadum *Disputat. 4. Metaphysicæ*, Fonseca *5. Metaphysicæ*, cap. 13. Toletum & Conimbricenses supra: ex quibus omnibus ea perstringemus, quæ sufficiant ad explicandam totam hanc materiam, & quæ pro maiori eius illustratione occurrerint, de nouo addemus.

SECTIO I.

Definitio & diuisio Vniuersalis.

ANTEQUAM inquiramus, vtrum detur à parte rei Vniuersale formaliter an non, præmitti oportet, quid nomine *Vniuersalis* significetur.

Vniuersale igitur Primò dici potest, quod in

se est vnum, habet tamen ordinem ad plura: quo sensu res productiua plurium & diuersorum effectuum dicitur *causa vniuersalis*, ut Deus, sol, &c. Secundò dici potest Vniuersale id, quod multorum est similitudo, ut imago, quæ est in mente artificis, dicitur idea quadam vniuersalis, quia ad eius similitudinem plura formantur arte facta. Item Tertiò, vox æquiuoca, quia plura diuersa significat, dici solet vniuersalis in significando. Sed de his Vniuersalibus nobis non est sermo in præsentia.

Vniuersale igitur in præsentia dicitur, iuxta Aristotelem 7. *Metaphysicæ*, cap. 3. & 1. Posteriorum 18. & 20. *vnum in multis*. Ex quâ definitione constat, requiri ad Vniuersale & vnitatem & pluralitatem, vnitatem in ipso Vniuersali, multiplicitatem in inferioribus in eadem omnino ratione vniuersali, quæ reperitur ad quælibet in pluribus, ita ut tota sit in quolibet, & non vna pars in vno, alia in alio. Ex quibus duo colliges.

Primum est, ut res aliqua possit esse vna in multis, prout ad Vniuersale requiritur, non sufficere, esse vnam in se, & habere plures partes etiam homogeneas ex quibus componatur, ut v.g. aqua, quæ est vna in se, & habet plures partes, in quibus